



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Archiepiscopatus de littera V. cap. XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

ciam administravit, a qua ad Hierosolymitanam transiens, tandem obiit anno 1158: *Tyrinus lib. 1. c. 11. & lib. 16. c. 17.*

Archiepiscopatus de littera V.

Viennenses in Gallia. Cap. XXXIII.

Sanctus Cadeoldus, alias Cadoldus, uel Caldeolus, siue Landalenus, monachus, & Abbas Monasterii Grimaniensis in ciuitate Vienna, in omni sanctitate plebem sibi commissam gubernauit, multorumque pater cenobiorum fuit, & concilio Cabilonensi prouinciali, anno 658. celebrato interfuit, cui & subscripsit. Vixit tempore Clodouei secundi, Regis Franciæ. Obiit decimonono calendas Februarii. *Auctor uitæ S. Clari Abbatis, apud Surium die primo Ianuarij.*

D. GVIDO, Burgundus, Gallus, Gulielmi Burgundiæ Comitis filius, monachus Monasterii de Falleri in Gallia, in officio sibi commisso, ita se laudabiliter gessit, ut Gelasio Papæ II. in monasterio Cluniacensi defuncto, dignus fuerit succedere, anno domini 1119. *Hieronymus Plata de bono status religiosi lib. 2. c. 28. & alij.*

De quibusdam Archiepiscopis, qui Archiepiscopatu relicto ordinem Diui Benedicti Nigrorum ingressi sunt. Cap. XXXIIII.

ARCHIEPISCOPVS quidam Consentianus, a Rogero Siciliae Comite Archiepiscopatu deiectus, & monachus Casinensis effectus, non longe post Paschale Papa II. & Abbate Casinensi permittentibus habitum reiecit. *Chron. Cas. lib. 4. c. 51.*

S. AMATVS, Gallus, XXII. Senonensis, Archiepiscopus anno regiminis sui 13. Christi 685. ab Ebroino Magistro Equitum in exilium pulsus, ad S. Maurontum confugiens habitum sanctæ religionis in cœnobio Broylo de manibus eius suscepit, a quo & fratribus Abbas datus, in sanctitate diem clausit anno 690. die 13. Septembris. *Auctor uitæ eius apud Surium tomo 5.*

S. GISLENVS, Atheniensis Græcus, monachus Basilianus, & Athe-